

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Beatitudo siue beatus p
cum fonte primo

Scito

non eum bonum esse quem uulgus appellat,
ad quem pecunia magna confluxit,
sed illum cui omne bonum in animo
erectum est et excisum et mirabilia calcantem,
qui neminem uidet cum quo se commutatum uelit,
qui hominem ea sola parte extimat qua homo est,
qui natura magistra utitur
ad illius leges componit
sic uiuit quomodo illa prescripsit,
cui bona sua nulla uis excutit,
qui mala in bonum uertit, certus iudicii,
inconcussus, intrepidus, quem aliqua uis mouet,
nulla perturbat, in quem fortunatum quod habuit
telum nocentissimum ui maxima intorsit,
pungit, non uulnerat.

Seneca epistola XLIII.

Si utique vis verborum ambiguitates diducere,
hoc nos doce, beatum
non eum esse quem vulgus appellat,
ad quem pecunia magna confluxit,
sed illum cui bonum omne in animo
est, erectum et excelsum et mirabilia calcantem,
qui neminem uidet cum quo se commutatum velit,
qui hominem ea sola parte aestimat qua homo est,
qui natura magistra utitur,
ad illius leges componitur,
sic vivit quomodo illa praescripsit;
cui bona sua nulla vis excutit,
qui mala in bonum vertit, certus iudicii,
inconcussus, intrepidus; quem aliqua vis movet,
nulla perturbat; quem fortuna, cum quod habuit
telum nocentissimum vi maxima intorsit,
pungit, non vulnerat,
et hoc raro; nam cetera eius tela,
quibus genus humanum debellatur,
grandinis more dissultant,
quae incussa tectis sine ullo habitatoris
incommodo crepitat ac solvitur.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 45.9 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.117-18, ll.18-29, 1-3).